ABSALON FRATRICIDA.

ILLE ego, qui quondam nati certamen Iëſſe
Cum Goliâ, Goliæq̃ necem, ſtragemq̃ ſuorum
Bellatrice tubâ, palmamq̃ ex hoſte relatam
Martius intonui: caſtriſque egreſſus, amantis
Iſaidæ illicitos ignes, cæſique mariti
Flebile luctiſonâ crimen teſtudine dixi:
Dauidis nunc fata ſenis crudelia, vatum
Oraclis prædicta prius, horrendaque prolis
Funera, & inceſtus memoro, ferrumque nefandum,
Quo latus incauti Ammonis Geſſurius heros
Hauſit, & hoſpitij diro ius polluit auſu.
Tu mihi tantorum motus, verasque malorum
Muſa refer cauſas, quænamq̃ iniuria primum
Fratris in exitium quirit compellere fratrem.
Inter multa ſibi multis è matribus orta
Pignora, Ieſſides natam ſuſceperat olim
Moribus, & formâ præſtantem nomine Thamar:
Germanus vetito cuius ſuccenſus amore,
Languorem ſimulans, indigno callidus aſtu
1. 2. Reg. c. 13. Pertractam in thalamũ per vim ſtuprauerat Ammon,
Et ſcelere expleto, votumque infame potitus

Tur-

Turpiter eiectam tecto, spretamque fugarat.
Viderat hanc frater redeuntem fortè, genasq;
Vnguibus, & scissa laniantem pectora palla
Absalon: & gemitus causam scitatus amari,
Vim sibi per fraudem germanum Ammona tulisse,
Et pepulisse domo, contra fas omne, fidemque
Audierat: quibus acceptis commotus, & acri
Bile tumens, vulgare tamen scelus, atque sororem
Flere vetat, nec enim vanis hæc fletibus, inquit;
Vindice sed ferro, sed sanguine noxa luenda est.
Aut ego cum facibus Mœchi impia tecta cremabo,
Præcipitemque ipsum rapidis super ignibus addam:
Aut linguam, atque oculos, & quæ rapuêre pudorem,
Membra tibi ferro abscindam: vel mille resectum
In partes auibus cæli, canibusq; vorandum
Dispergam per agros: magnũ est quodcunque paraui.
Tu modo dissimula, & iustas germana querelas
Supprime tantisper, pœnas dum tempus in aptum
Differo. sic fatur, dictis ac mitibus ægræ
Mœstitiam mulcet, furor ingens æstuat intus.
At tanti interea sceleris Cocytia virgo
Hortatrix, postquam accensas, quas seuerat iras,
Conspicit esse satis, fraternæ & cædis amore
Vindictæque ferum Iuuenem inflammauit abundè;
Auolat, & tortis stridentes anguibus alas
Concutiens, Stygias victrix descendit ad vndas.

Illic Tartareas comites, deforme Barathri
Concilium cogit: simul vndique protinus adsunt
Innumeræ pestes Erebi, Dolus, Ira, Libido,
Inuidia, & fusi sitiens vindicta cruoris,
Ambitióque, Odiumque, & cæco Audacia vultu,
Et quas præterea nigri moderator Auerni
Sub ditione suâ furias premit: ordine nullo,
Præcipitesque ruunt, & dira sedilia complent.
Confuso passim strepitu sonat intus opaca
Regia, confuso stridet perculsa boatu
Cæca domus: veluti turbatum murmurat æquor
Quod Notus hinc, illinc motis exasperat vndis
Africus. è solio demùm sublimis Erinnys
Ora tenere iubet, tristique à fronte remotis
In tergum colubris, raucâ sic voce profatur:
Quàm graue sæpe mihi, quàm non tolerabile visum
Inter delicias tranquilla pace fruentem
Cernere Iessiden, & circumquáque superno
Numine, ceu vallo, contra technasque, dolosq;
Tartareos septum, vobis, quas scilicet idem
Sæpe dolor mecum afflixit, satis esse superque
Perspicuum reor, ô sociæ: quotq; hactenus (etsi
Incassum) illecebris, quot structis fraudibus hostem
Tentârim: si fortè meos, si fortè liceret
Compulsum in laqueos, à calle auertere recti.
Certè si Stygio non planè imperditus astu

A teneris annis, inconcussusque maneret;
Haud ita tum saluo nostras vitare fuisset
Fas illi insidias, vetito cum cæcus amore
Bersabeæ, turpi stupro superaddere diram
Sustinuit cædem, insontisque haurire cruorem.
"Verum tunc patuit nostros sine viribus esse
" Conatus in eos, superi quos magnus Olympi
" Arbiter, alarum placidâ complectitur vmbrâ
" Propitius, dextrâque suâ, si quando labascunt,
" Erigit, & culpas fassis non obserat aures.
Signa igitur, Comites, Iessidem attollere contrà,
Nec fas est, nec posse reor: sed perdere stirpem
Si lubet, & domui communem intendere cladem
Regali; datur ecce rei præcommoda (nobis
Haud modò desimus) feliciter ansa gerendæ:
Iamque via est prostrata, ducis tantummodò vestræ
Orsa sequi, atque animis iubet aspirare paratis.
Sic fata, incestum lasciui Ammonis amorem,
Vimque suæ illatam se compellente sorori
Pandit, & ingentes quas hinc conceperit iras
Absalon, & Mœcho quas pœnas destinet, addit.
Huius ego, modò vestra mihi sit certa voluntas,
Conceptum facinus, fraternaque funera pergit
Tisiphone, confecta dabo, dextramque cruentam
Fratris, in exitium alterius crudele mouebo.
Nec priùs absistam; dirâ quàm cæde peractâ,

In-

Insuper infando regnandi abreptus amore
Absalon externas genitorem expellat in oras.
Sic ait. orantis dictis assensa repente
Annuit exululans, inuentaque tristia laudat
Dira cohors, cæcum resonat mugitibus antrum
Terrificis : pelago ceu quando turbidus imber
Ingruit, & rauco volitat cum murmure nubes
Pulsa noto; tumet vnda, micat pice nigrior æther
Ignibus, & vasto cælum tonat omne fragore.
Illa vbi cæruleo vestes connexuit angue,
Nodauitq; adamante comas Phlegethonte relicto;
Rursus in æthereas pennis stridentibus auras
Se leuat, & celeri delata per aëra cursu
Belsephon ingreditur. tectis hic fessus in altis
Gessurides mediâ carpebat nocte quietem,
Multa super scelere Ammonis, pœnaq; nocentis
Corde mouens, curisque intus mordacibus æger.
Tisiphone positâ furialis imagine vultus
Fingit anum, rugâque genas sulcata frequenti,
Et mitrâ redimita caput, per tempora canos
Ponit, & innitens baculo vestigia firmat:
Fit Mahame, magni Geßurum filia Regis,
Dauidi, ante alias, olim gratißima coniux,
Iam lustris defuncta aliquot, quæ Thamar & ipsum
Absalon ediderat superas enixa sub auras:
Et nati antè oculos, his se cum vocibus offert:

Nate

Nate mihi vitâ quondam, cum vita manebat,
Chare magis: nate heì miseræ post funera matri
Dulcis adhuc, noni quem post fastidia mensis
Enixam partu Lucina extinxit in ipso:
Quam perijsse iuuat, quia te pereundo, Thamarque
Ediderim geminos: quales, tu collige, luctus
Perculerint animum, Stygias vbi scilicet ad me
Peruenit sub aquas temeratæ fama sororis?
Non ego spe tali iacturam lucis amatæ
Solabar moriens, vt diros illa nefandi
Virginitate suâ germani extingueret ignes:
Tu scelus admissum vecors patereris inultum.
Prô pudor! inflicto tanti sibi vulnere probri
Questibus ignauis, ignauas Absalon iras
Mollis agit, stratumq; fouens vlciscier hostem
Sic se posse putat. at enim non taliter olim
Se Simeon, Dinæ post stupra illata sorori: Gen. c. 34.
Sed licèt oppressam per vim, pro coniuge verâ,
Ducturum in thalamos Hemoris se filius vltrò
Sponderet, glandisq; sibi genitalis amictum
Præcidi, pariterque suis, in fœderis arrham,
Deceptus iussisset amans; non exuit altâ
Mente tamen defixum odium, iustumque dolorem
Degener excussit Liades: sed (fratre iuuante)
Insontem cum sonte simul, populumque, patremq;
Interfecit, opes rapuit, Dinamq; recepit.

50

Hactenus è contra, post stuprum immane sororis,
Post patrios turpi pollutos labe penates,
Naturâ damnante nefas, post omnia fœda,
Dira, infanda, dolos, vim, contemptumq; probrosum
Virginis eiectæ: non tantùm sospes, & omnis
Supplicij securus agit: quin immò scelestis
Ausibus exultans sibi laudem hinc arrogat Ammon,
Et tumidos diro fastus à crimine sumit.
Heu facinus fœdum! nimirum Regia Sichem
Progenies, genitorq; senex, plebsque insuper insons
Conciderint fratrum gladijs impunè duorum:
Ædibus in patrijs germanam (fratre pudendum
Dissimulante nefas) Ammon violârit inultus?
Excute nate animi noctem, reminiscere primi
Roboris, Incesti vindex latus hauriat ensis:
Occidat, hæc summa est, mortisque affectus acerbæ
Supplicio, terram expirans premat ore cruento.
Sic ait, inque sinus tinctam ferrugine dextram
Inserit, & rigidos spargit per pectora sentes,
Toxicaq; inspirat, penitisque recepta medullis
Dissipat, & cæcum vindictæ accendit amorem.
Extemplò tremulus somnum pauor excutit illi,
Et trepidos sudor perfundit frigidus artus.
Erigit in stratis corpus, palmisque supinis
Prosequitur tali fugientem voce parentem:
Iam iam nulla mora est, sequor, & tua iussa capesso,

O

O genitrix, nam iusta petis, quæque exigere vltrò
Mens erat. Ammonem per me sua (pone timorem)
Pœna manet, neque commissis immanibus impar.
Sic fatus, dubiâ pœnarum mille volutat
Mente modos, mille vlciscendi pectore versat
Consilia incertus: ceu cum surgente viator
Vespere, secta vias in plures compita fortè
Obuia habet, pede suspenso vestigia sistit
Ambiguus, partesq; animo discurrit in omnes:
Et secum de tot, quos illi Cynthia monstrat
Tramitibus, quærit potiùs quo tramite pergat.
Demùm alternanti Iuueni sententia visa est
Hæc melior. lucem tenebris aurora fugatis
Reddiderat rebus, fluctúque emersus Eoo
Fulgebat nitido sublimis in æthere Titan:
Ille toro surgit, fabricâque instructus, & astu
Factitio, & fictâ occultans mala pectora fronte,
Ocyus ad patrem properat. Pater altus eburno
E solio circùm Primorum stante coronâ,
Iura dabat, legesq; viris: vbi lumine flexo,
Gessuridem aspexit; blando conuersus ad illum
Intuitu, quæ causa viæ, rogat. Ille paternis
Procumbens genibus, vafro sic incipit ore:
Tempus adest anni solitum, quo, vere reuerso,
Laniger æ tondentur oues, ac florida Maj
Blandities, paucas festis dare lusibus horas

Admonet : hunc igitur ſeruo largire laborem,
Atque vbi Sol croceo fulgebit craſtinus axe;
Eſſe meus, cunctis pariter cum fratribus hoſpes
Annue, campeſtres neque dedignare paratus.
Excipit hæc miti vultu Geſſeius heros,
Verbaque non animo credens prolata doloſo,
Gratus amor tuus eſt, inquit, pergrata profectò
Illa tua in fratres, & me propenſa voluntas.
Sed voluiſſe ſat eſt : nec enim te, nate, grauari
Sumptibus immodicis, numeroſoq; hoſpite par eſt,
Vade igitur, tonſosq; greges, agrosque, domumque
Proſperet Aſtripotens, cumque vberiore quotannis
Fœnore te frugum, & pecoris prouentibus auctet.
Abſalon è contrà perſtat, precibusque parentem
Sollicitans, ne me, ne verò ſupplice voto
Defraudes, genitor magni mihi muneris inſtar
Excepiſſe dabis priuato culmine Regem :
Vel ſi cottidie quæ tanta negotia ſoli
Incumbunt, te præſentem tractanda requirunt;
Nec vacat ad tempus breue rerum ponere curas;
At ſaltem ſine germanos aſcendere mecum,
Atque tuas implere vices, neque fine cupito
Vota mea, atque epulas (oro) fruſtrare paratas.
Annuit oranti demùm Rex. gaudet, agitque
Ille patri grates, lætusque ad tecta recedit.
Vix benè contigerat verſo ſua limina greſſu,

Abſa-

Abſalon : è ſeruis Sydracem pluribus vnum,
Audacem iuuenem, dextrâq;, animóque ferocem
Aduocat, & blandâ ſeductum voce ſeorſum
Talibus alloquitur : peragendis ſtrenue iußis
Fide Sydrax, quem non vulgari ſemper amore
Inter præcipuos dilexi amplexus amicos :
Cuius certa fides dubijs eſt cognita rebus
Sæpe mihi, nec prona minus ſpectata voluntas :
Cui quoque, ſi qua mihi fixa eſt ſub pectore cura,
Pando lubens, tutóque animi ſecreta reuelo.
Quantum, & quale mihi præcordia vulnus ad ima
Germanam per vim temerans inflixerit Ammon,
Noſti equidem, & noſtro doluiſti ſæpe dolore :
Nunc inuenta via eſt, (Domino gratare) pudendum
Quâ punire nefas, illataque probra ſorori,
Atque animum liceat pœnis explere merentis.
Cras feſtis epulis, quas iſtâ mente paraui,
Affore ſe fratres, vnaq; nefarius Ammon,
Promiſere : tuum fuerit fidißime porrò
Structis ritè dolis optatum imponere finem.
Nempe vbi diffuſis generoſi munere Bacchi
Hoſpitibus, fremitus, lætáque per atria voces
Fundentur, ſtrepitúque alto tectum omne ſonabit;
Incautus multóque grauis tibi mœchus Iâcchо
Inuadendus erit, ferróque per impia adacto
Viſcera confoßi fœdandæ ſanguine menſæ.

Est mihi præstanti vernarum copia formâ,
Quarum quæ specie reliquas supereminet, Abram,
Cuius & igne tibi iamdudum ardescere pectus
Condidici, thalamo iungam, propriamque dicabo,
Atque opibus (meritis pro talibus) insuper ambos,
Et libertatis dulci mercede beabo.
Tu modò ne desis tibi, neu mea vota moratus,
Præmia degeneri perdas promissa timore:
Quidquid enim inuidiæ, quidquid discriminis inde
Impendere potest, totum, desiste vereri,
In me suscipio: saluum, expertemq; pericli
Te dedero, capitiq; pilus non decidet vnus.
Tantũ aude, & Domini intrepidus mandata facesse.
Excipit hic Sydrax: in herum sifundere questus
Et licet, & seruo fas est; hoc scilicet vnum,
Quod tam lenta tuas patientia distulit iras,
Conqueror, & tardi effectus incuso furoris.
Impia iamdudum incesti resoluta decebat
Guttura, iamdudum cor viuo è pectore tractum
Perfida oportebat missum expirantis in ora,
Et data membra feris, fractumq; ad saxa cerebrum.
An tibi fortè mei deerat fiducia? quidve
Dextera Sydracis posset nondum, impigra, noras?
Atqui, si iubeas, infestos ire per ignes,
Infestas per aquas ausim, neque pectora cuncter
Euaginato nudata obtrudere ferro:

Pro te, non fratris iugulo me condere cultrum,
Non patris pigeat, non plena in viscera fœtæ
Coniugis. At quid opus multis? ambage remotâ,
Faxo, priùs fessos pelagi quam Phœbus Iberi
Crastinus occiduis currus demerserit vndis;
Infelix magno frustra desideret emptum
Intactam Thamar: inconcessáque gaudia, & horam
Infortunatam (serò licet) execret Ammon.
Iamque sequens fluctu Eoo lux aurea Solem
Extulerat: misto regales agmine nati
Belsephon ad paruos tendunt vestigia muros:
Nescius, antè alios fati, sortisq; futuræ
Spectandus cocco ingreditur, gemmisq; coruscus
Terga premens Ammon stratis insignia pictis
Acris equi: dextrâ fratres, læuaq; feruntur,
Magnanimus Daniel, quem formosissima partu
Dauidi Abigail superi sub luminis oras
Edidit, egregium formâ, quam cultibus auget
Diuitibus, bis adhuc octonis integer annis:
Adoniasque ferox, quo non præstantior alter
Vulnera certa feris adducto infligere neruo:
Galaq; equûm Domitor, Gerthosaq; Martis alumnus,
Quos Solymi comitant Primores ordine longo.
Iamque propinquabant portis: volat obuius illis
Absalon, atque omnes extensis excipit vlnis,
Gaudia mendaci simulans ingentia vultu,

Sed

Sed tamen vt medio occurrentem ex agmine vidit
Ammonem; tacitus fremit, occultóque dolore
Ingemit intra se, iustæq; cupidine flagrans
Vindictæ, vix se mentis bene continet impos:
Vix benè (propositi oblitus) dextram abstinet hosti
Infrendens: ceu cum latitans sub fomite sicco
Scintilla, afflatu subito excandescit, & aurâ
Exilit, ignitæ rutilant per nubila flammæ.
Et iam fatales aditus, fatalia tecta
Incautus Iuuenis pesti deuotus acerbæ,
Cum socijs simul intrârat: tùm lenis anethi
Floribus inspersum, violisq;, rosâque frequenti
Excipit ingressos grato cœnaculum odore.
Nec mora vix, medium cursus Hyperione menso
Discubuêre toris fratres, proceresque vocati:
Hac parte Adonias, illâ Danielq;, Galaque,
Quosque alios fuerat parili dignatus honore
Successu exultans fraudis Gessurius heros.
Dant manibus lymphas famuli, niueamque canistris
Expediunt Cererem: lautus pars fercula mensis
Instituunt, renouantque dapes: pars pocula miscent,
Craterasque replent; nunc hàc, nunc voluitur illac
Gnaua cohors: resonat festo lyra garrula cantu,
Arguto resonat chelys icta per atria plectro.
Dumque ita feruet opus; diffusum Ammona Lyæo,
Atque inopinantem nutu monefactus herili

Impe-

Impetit à tergo Sydrax, ferrumq; coruſcans
Fatiferũ, Thamar, exclamat, te hoc vulnere Thamar
Immolat, & pœnas inceſto ex ſanguine ſumit.
Cum dictoque ferum capulo tenus abdit in armos
Mucronem infeſtus: rutilum vomit ille cruorem,
Et reſupinus humum moribundo vertice pulſat.
Ilicet euerſæ turbant conuiuia menſæ,
Diffugiuntque viri, cædis quò quemque patratæ
Terror agit: quales rapidus cum falco columbam
Suſtulit è multis, quam roſtro euiſceret vnco;
Certatim reliquæ ſe protinus agmine denſo
Proripiunt, mœſtæque fugâ, trepidæque feruntur.
Ocyor aſt illis tanti prænuncia luctus
Fama volans, veris quæ falſa attexere gaudet
Plurima, regales cunctos per vulnera natos
Fraternâ memorat demiſſos fraude ſub vmbras.
Mœſta malo tanto Solyme gemit, anxia plangunt
Ora nurus, lugent Proceres, & ſqualidus atro
Puluere canitiem genitor, vultusq; ſeniles
Fœdat humi fuſus, ruptâque à corpore veſte
Se miſerum Dauid, ſe fati clamat iniqui.
Dum queritur; properus turri ſpeculator ab altâ
Aduolat, & procul, ó mœſtas Rex mitte querelas,
Soſpes adeſt, inquit, natorum turba tuorum,
Soſpes adeſt: vnus tantùm ferro occidit Ammon.
Dum ſtupet, & dubiè gaudet, fallique veretur;

Ecce fores ſubeunt nati : ſubeuntibus heros
Obuius it, flentesque auidis flens excipit vlnis,
Expleri amplexu nequiens : hinc lumina cælo,
Brachiaq; attollens iterato liuida planctu,
Iuſtus es, ô genitor. factis ego digna nefandis
Pendo, inquit : ſi digna tamen mihi pendere factis
Fas miſero eſt. hæc eſt, hæc illa videlicet, (heu me !
Nunc recolo) funeſta dies, quam præſcia quondam
Prædixiſſe mihi Nathani orâcla recordor,
Quâ domus inceſtæ temerata libidinis auſu,
Fraternisq; odijs, & cæde aſperſa meorum
Concideret, vafriq; dolis ſuccumberet Orci.
Aſt horum radix nimirum, & cauſa malorum
Solus ego, qui te rerum mitiſſime, primus
Offendi : quando interitum molitus Vriæ,
Berſabeam vetito lecti mihi fœdere iunxi.
Quid ? quod in obſcœnos auſus, crimenque pudendum
Ammonis, nimis indulgens, & lenior æquo,
Fratris in hunc verti ſtrictum malè prouidus enſem ?
Iure igitur quas de nato non ſumere pœnas
Suſtinui genitor, frater de fratre recepit :
Iure cruore ſuo temeratæ probra ſororis
Eluit inceſtus, fraternoque occidit aſtu.
Vos qui fortuito volui mortalia caſu
Creditis, & magni ſpernentes fulmen I'houæ,
Numina cenſetis vel nulla, vel inſcia noſtri,

Cernite

,, Cernite me, luctusque meos : certumque tenete
,, Esse Deum, iuris trutinâ qui cuncta seueri
,, Ponderet, & cunctis citiùs, vel seriùs, æquus
,, Pro meritis pœnas reddat, vel præmia iudex.
Plura locuturo mutis vox faucibus hæret
Deficiens : gelido stat Rex ceu vertice cautes,
Quam rapidus frustra Boreas, & sæua trisulco
Fulmine vis cæli, frustra quatit horridus imber,
Hispida, cana gelu, longoque immobilis æuo.

FINIS.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf